

prout divisionem importat ab aliis. Cetera defini-  
entur suo loco.

**UNIVERSALIA** seu **PRAEDICABILIA** sunt quae communia  
pluribus inveniri, ac de pluribus dici possunt. **Praedi-  
cabilia** nuncupantur, quia dicunt modos quibus omnia  
attributa de ente aliquo *praedicari* et ad ipsum perti-  
nere valent. Quinque autem in modis attributum ali-  
quod enuntiari potest de subjecto, scilicet veluti ip-  
sius **genus**, vel uti **species**, vel uti **differentia**, vel uti **pro-  
prium**, vel uti **accidens**. Inde quinque sunt **praedicabili-  
a** seu **universalia**: **genus**, **species**, **differentia**, **proprium**, **acci-  
dens**.

**Genus** est unum aptum inesse pluribus specie-  
differentibus, et praedicari de illis *in quid* incomplete.  
**Ex. animal.** *Alier*: Est id quod pluribus speciebus  
invenitur commune.

**Species** est unum aptum inesse pluribus nu-  
mero differentibus, et praedicari de illis *in quid* com-  
plete. **Ex. homo, brutum** *Alier*: Est totum id quod  
communem pluriam individuorum essentiam con-  
tituit.

**Differentia** est unum aptum inesse pluribus  
et praedicari de illis *in quale quid* **Ex. rationale quo**  
differunt **brutum** et **homo**. *Alier*: Est id per quod  
unaquaquam species discriminatur ab aliis speciebus  
quae sub eodem genere continentur.

**Proprium** est unum aptum inesse pluribus  
et praedicari de illis *in quale necessario*. **Ex. capacitas**  
*sciendi* in homine. *Alier*: Est id quod ab essentia  
necessario dimanat.

**Accidens** est unum aptum inesse pluribus et  
praedicari de illis *in quale contingenter*. **Ex. doctrina**  
in homine. *Alier*: Est id quod esse potest in re vel  
ab ea abesse, salva essentia.

**Species infima** ea est sub qua nulla alia spe-  
cies collocatur, quaeque immediate sub se individua  
continet. **Homo** est **species infima**.